



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XL.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

*\* contentione.* **D**AMASVS, natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annis 18. mens. 3. dieb. 10. & cum eodem ordinatur sub \* intentione Vrsinus. Qui facta Concilio sacerdotum eiectus est ab vrbe, & Napoli constitutus Episcopus. Damasus fultus plurima multitudine in sede Apostolica permansit p̄sul. Qui tandem accusatus incriminatur de adulterio, & facta Synodo purgatur à 44. Episcopis, qui etiam damnauerunt accusatores eius, Concordium & Callistum, & proiecerunt de Ecclesia. Quæsiuitq; multa corpora Sanctorum, & inuenit, ac eorum memorias versibus decorauit. Constituit quoque, vt psalmi die noctuq; canerentur per omnes Ecclesias, ac sepultus est via Ardeatina in basilica sua 3. Idus Decembr. iuxta matrem suam, & germanam suam. Et cessauit Episcopatus dies 31.

## XL.

**S**IRICIVS, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annis 15. Hic constituit, vt nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam. nisi consecratum Episcopi susceperit, quod nominatur fermentum. Qui etiam exosos habuit omnes hæreticos, maximè Manichæos, quos inuentos in exilium deportari fecit, & constituit, vt si quis de Manichæis conuersus rediret ad Ecclesiam, nulatenus communicaret, nisi tantum relegatus monasterio vsque ad finem vitæ suæ ieiunus & orationibus vacans viaticum ei largiretur. Constituit etiam hæreticum sub manu impositionis reconciliari præsentem cuncta Ecclesia Qui sepultus est in cimiterio Priscillæ, via Salaria, 8. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus, dies 20.

## XLI.

**A**NASTASIVS, natione Romanus, ex patre Maximo, sedit annis 3. diebus 10. Hic constituit, vt quotienscunq; Euangelia sancta recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curui starent, & vt nullus clericum transmarinum suscipere, nisi sui Episcopi chirographum designaret, quia eodem tempore Manichæi inuenti sunt in vrbe. Sepultus est autem in cimiterio suo ad Vrsu pileatum. 5. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus dies 21.

## XLII.

**I**NNOCENTIVS, natione Albanensis, ex patre Innocentio, sedit annis 15. mensibus 3. dieb. 21. Hic inuenit Pelagium & Cælestium